

De faciei promontorio odoratus orgamo / [Michael Friedrich Lochner].

Contributors

Lochner, Michael Friedrich, 1662-1720.
Hoffman, Johann Moritz, 1653-1727.
Universität Altdorf.

Publication/Creation

[Altdorf] : H. Meyer, 1682.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hwkgxn4e>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

בשכ

De

FACIEI PROMONTORIO, ODORATVS ORGANO,

*MODERATORE
VIRO*

*NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO
atq; EXPERIENTISSIMO*

DN. JOH. MAVRICIO HOFFMANNO,
PHIL. ET MED. D. ANAT. ET CHEM. PROF. PVBL.

CELEBERRIMO,

ORD. MED. P.T. DECANO SPECTATISSIMO;

**DN. PATRONO, FAVTORE, & PRÆCEPTORE
ÆTATEM DEVENERANDO,**

DISPVTABIT

ad d. 4. Martii

A. O. R.

M. DG. LXXXII.

AVTOR

MICH. FRIED. Lochner/ Norico-Fürthensis.

ALTDORFI,

Literis HENRICI MEYERI, Vniversit. Typogr.

**DEO
PATRIÆ
ET
PARENTI.**

B. L. S.

Nter tam fertilia scribendi tempora, sterilis
quog, Ingenii mei fœtus de Naso prodit. Lon-
gè dubius hæsi, quodnam ex uberrimâ Medi-
cinæ segete argumentum depromerem, & sæ-
pius iratus ex Museo discessi, quod tanta re-
rum copia inopiam mibi pareret. Tandem Na-
sus sese obtulit, atq, ut organum odoratus sisterem & autor
exstitit & suasor. Factum est, uti vides, B. L. quomodo?
tuo judicio relinquo. Si quædam erunt, quæ virgulam meren-
tur censoriam, condona quæso &

- - - si quid novisti rectius istis
Candidus imperti;

Si quædam placent

- - - his utere mecum.

Recessi aliquando à Magnorum Autorum hypothesi, ne quæso
finistre interpretare, mens mea mentem Senecæ sapit:

AUTORITATI ASSENTIOR NON SERVIO.

Velut verba Archimedis Nostri Excellentissimi Dn. STVR-
MII, Fautoris & Præceptoris æternum devenerandi, qui-
bus Disp. de Autorit. Interpr. Natur. obsignavit, mea fa-
ciam: Venerandus PLATO, Amplectendus ARISTOTE-
LES, Audiendus EPICVRVS, Honorandus cum DEMO-
CRITO GASSENDVS, Æstimandus CARTESIVS, (liceat ad-
dere) Magnificiendus COVS & PERGAMENVS, Tollendus
PARACELSVS, Amici cæteri, sed

"Οτιαν ωρημαν την αληθειαν.

Magis veneranda magis amica Veritas.

Sive ut alibi effert : SIT SVA CVIQLA AVTORITAS , SED
VERITATI TRIVMPHVS. Et hæc quidem monere prius vo-
lui; nunc summo ante omnia in auxilium piis vocibus sollici-
tato Numine , ipsam Translationem aggredior. Fave cœptis
Sacra TRIAS , ut hoc cœpto finito exclamare possim :

Gloria sit Patri, Filio sit gloria, sancto
Gloria Spiritui, TRIADI sit gloria! DIXI.

CAPVT PRIMVM.

Continens Philologica de Naso.

§. I.

EN Nasutule de Naso ordior ! An prima hic cuna-
bula ex Latio hauserit ? an verbum Nare, (a) an ve-
rò gnaritatem (b) matrem agnoscat, ex cuius casto
utero prodierit lepida hæc proles ? Critici decer-
tent, mihi per placet Medicorum ingredi Vireta.

§. II.

Neq; ibi spectabo rosaria & violaria , quæ si olfacies

- - - - - *Deo srogabis*
Totum ut te faciant Fabulle Nasum. (c)

Sed Solem intuebor Microcosmicum (d) Nasum scilicet,
non Animi sedem , (e) sed odoratus organon.

§. III. Ne-

(a) Perottus in cornucopia p. 13. (b) Quod Donato placuit & Festo. (c) Ut Ca-
tullus loquitur Carm. 13. (d) Diemerbrokio Anat. l. 3. c. 19. vocatur Sol,
quod sicuti Sol Macrocosmo lumine suo singularem splendorem ac pulch-
ritudinem confert ; ita Nasus pulchritudine sua Microcosmum quasi illu-
stre videatur. (e) Hanc Judæorum sententiam refert Excellentiss. Dn.
D. Wagenseilius , Fautor & Praeceptor honorandus in Sota , ex Excerpt.
Gemar. c. 9. Excerpt. 1. verba sunt : *Passim receptæ opinioni suffragari po-
test, in naribus eam* (sc. Animæ sedem) *esse &c.* pag. 1018. hac opinione
fortè ducti Judæi statuunt , quod in fœtus ex utero exitione, subter nares
percutiatur ab Angelo fœtus & Lumen in Capite extinguitur. Vid. Excerpt.
Gemar. cap. 1. Annot. 19. ubi producit Judæorum de fœtus formatione
opinionem. Hincq; putabant etiam sternutando animam egredi per nares.
Vid. Schookium de Sternut. cap. 30.

§. III.

Neq; attingam JČtorum controversias de odoratu
præsertim in causis matrimonialibus, ubi odoris effectus
attenditur; si enim Sponsus vel Sponsa gravi anhelitus
vitio laboraverit, repudium ex hoc capite concedi pote-
rit. Vid. *Dn. Mevius*, (a) citante *Cl. Strykio*. (b)

§. IV.

Neq; falcem immittam Historicæ & Physiognomi-
cæ messi, (quamvis hanc ultimam summè Medico ne-
cessariam judicet *Helvetius*) (c) enarraturus : quod ab
orientis parte intimâ homines sine naribus repertu den-
tur, teste *Lycosthene*; (d) quod Ozelæ populi indigenæ
Locri secundum totum foetuerint; quod Lemniæ mu-
lieres hircum oluerint, ita ut viri earum congressum fu-
gerent; (e) quod apud Ægyptios adulteris nasus abscis-
sus fuerit; (f) quod Æthiopum quidam Rex delinquen-
tibus nasum amputare jussérat, ut eam oris turpitudi-
nem veriti , circumspetius à criminibus abstinerent;
quod Persarum Rex, cùm civili tumultu, foedo esset con-
vitio ja&tatus, adeo exarserit, ut totius populi nares ab-
scindi curaverit; (g) quod Nasones in summo honoris fa-
stigio fuerint apud Persas, imò quod alias nullus eve&tus
fuerit ad regiam dignitatem, (h) quod propter *Cyrum*
Nasonem factum esse prodiderit *Plutarchus*; (i) quod
Helena habuerit sursum inflexas nares, sed quæ à Socra-
ticis quamplurimum recederent; quod *Heliogabalus*
non alios ad suam libidinem exercendam elegerit quam
nasutos, ratus eos fore ad Veneris negotia & promtiores,

A 3

& ala-

(a) Part.4. Decif.43.n.8. (b) De sensuum Jure Dissert. V. de Olfactu. cap.2. §.10.

(c) Diribitor. Med. c. 1. (d) de prodigiis & ostentis. p.13. (e) Mercurialis
lib. de Decoratione cap. 30. (f) Alexander ab Alexandro Genial. Dierum
l.4. c.1. (g) Idem l.3. c.5. (h) Riolanus anthrop. l. 4. c. 6. (i) in Apophe-
gmatibus.

& alacriores, (a) cuius rationem reddit **Claramontius**, (b) hujus verò verba videantur: nolo enim iisdem, merâ cæteroquin conjecturâ suffultis huc appositis castis legentium oculis molestiam dare. Absint ex Dissertatione mea monstra cum proboscide, de quo *Lycosthenes*; (c) sine naribus illud Daphnoideum, ore tamen gemino, dentibus cum binis, & barba, quatuor oculis; (d) Puellula Hassica sine naribus & auribus; (e) Basileensis Infans Paschalis scissis ac apertis naribus, ut inde ejus cerebrum facile sit suspectum; (f) Xyphili nasus, quippe cui caput erat instar dolii; (g) Janus ille Leporinus, propè Ullmam aliquando captus duplicem faciem & Nasum habens. (h) Sed hæc monstra recedant, abeamus, antequam Hippocentauri, Chimeræ, Vulpanseres, Hircocervi, aliaque monstra nos incurvant. Fugiant ex his pagellis diaboli incarnati, qui sæpe admirandæ magnitudinis nasis, visui humano occurrere; qualem quoq; se vidisse inter coenandum retulit *VIR Magnificus, Summe Reverendus, & Excellentissimus DN. D. JOHANNES SAVBERTVS, Patronus, Favitor, & Hospes ad cupressum de venerandus*, qui fere in vicinis abhinc oris, ex almâ Julia huc tendens, talem in divisorio servi munera obeuntem, cum naso Gallopaviformi vidit. (i) Ceterum observavi quoq; meis oculis, cùm per

(a) Riolanus loc. modo cit. (b) de conjectandis cuiusq; moribus & latitantibus animi affectibus l.6. c.12. (c) de prodig. & ostent. p.317. (d) Idem An.308. p.272. (e) Lycosthenes de prodig. & ostent. An.1530. (f) Idem An.1556. (g) Athanas. Kircher. Mund. subterr. l. 8. sect. 2. Disquisit. I. (h) Nommel Discurs. Phys. Med. ad Christ. Weikmannum &c. de foetibus Leporinis extra uterum repertis pag.6. (i) Es war in dem ganzen Haß niemand als dieser Kerl anzutreffen / welcher ihnen an die Hand gieng / und hatte eine Nase / wie ein Calecutscher Hahn / welche er herunter fallen und aufziehen kunte. Bey der Abreise / da ihm das Zehrgeld gereicht wurde / befunde man / daß seine Hände ganz kalt / gleich eines Todten / welches dann bei solchen Teufels Menschen gemein zu seyn pfleget / welches auch bezeugt Remigius in seiner Dæmonologia.

per Belgium iter facerem, Harlingæ nautam, cui Nasi magnitudo os clauferat, ut eo ad edendum & bibendum vix uti poterat. (a) Admirandæ pariter magnitudinis nasus fuit Procli, de quo lepidissimum Epigramma *Amianii* in Anthologia occurrit. (b)

'Οὐ διάταξ τῇ χειρὶ Πρόκλῳ τῷ ρῶ' διπομέσει,
Τῆς ρινὸς γὰρ ἔχει τῷ χέοι μηροπίλῳ.
'Οὐδὲ λέγε, Ζεῦ σάσσον, ἐάν πλαρῇ· εἰ γὰρ ἀντί^ε
Τῆς ρινὸς πολὺ γάρ τῆς ἀκοῆς απέχει.

Quod sic Latinum faciebat *Henrici Stephani*.

Haut manibus Proclus potis est emungere Nasum,
Nam Procli Nasus longior est manibus.
In vocat hautq; Jo-vem, cùm sternuit, auribus istum
Tam procul à Naso non capit ille sonum.

Neq; litem de magnitudine Nasi movebo, an eam rectè determinaverit *Ficinus*? (c) Nasos tres in longum dispositos Vultus unius implere longitudinem; an verò *Meyn*? (d) referens: Es muß die Nase mit den Mund in die Länge und Breite übereinkommen. Quæ omnia elegan-
tissime rimatus est *VIR Excellentissimus atq; Experientissi-
nus JOHANNES JACOBVS DÆBELIVS, Phil. & Med. bujusq;
P. P. & dum in alma Rosarum degerem Fautor & Præ-
ceptor ætatè colendus. (e) Neq; quæstiones urgebo,
in Virilitatis signum sit Promontorium bonæ spei seu na-
sus prægrandis? (f) An nasus talis mentis denotet acu-
nem?*

(a) Er konte nicht trinken noch essen / er musste dann zuvor mit der linken Hand die Nase wegthun / und mit der rechten den Getrank und Essen hinein schieben.
(b) Schookius de Sternut. c. 35. (c) Comment. in lib. Platonis de Amore.
(d) Physiogn. Med. c. 3. addit. hæc verba: Welches der Höhe des Mundes halben also zu verstehen / daß wann der Nasen Maß mit dem Zirkel genommen wird / in den Mund ohne dessen Zwangung kan gesetzt werden. (e) in Lect. Publ. de Corpore proportionato. (f) Riol. Anthrop. I. 4. c. 6.

men? (a) an nares apertæ depingant iracundum? (b) de quo *Virgilius*. (c)

Collectisq; premens volvit sub naribus ignem.
quod imitatus est *Silius Italicus*: (d)

Prima in cornipedis sedit spirantibus ignem
Naribus basta volans.

Qui ejusmodi quæstiones desiderat Virorū scholas adeat,
qui ex professo eas tractarunt. Omnia in unum de
Nasi formis redegit Lauriger *Barlaeus*.

Cæsar gibbosum, Cynicus me ostentat aduncum,
Et Vates de me nomina grandis habet.

Hac qui parte valent credam magis esse sagaces,
Emundum quisquis me volet esse sapit.

Nunc rivos Philologicos claudio, sat prata disputationis
meæ ex ipsis biberunt. Interea quisquis hujus generis
curiosa legere amat prolixè ventilata, citatos adeat Auto-
res, aliosq; , qui multam iisdem impenderunt industriam.

(a) Claramont. l. 6. c. 12. & Schookius de Sternutat. c. 35. (b) Claramont. l. c.
(c) l. 3. Georgic. (d) l. 17. Punicorum.

CAPVT SECUNDVM.

Nasi structura Carneo-Cartilagineo-Ossa.

§. I.

Nunc tumescentibus velis in altum Anatomicorum
mare me confero, & quid de Nasi stru^tura sentiant
de promoto. Ita vero definiunt Nasum: quòd sit corporis
nostrī pars organica, ex pluribus similaribus particulis
coagmentata, cùm propter alios usus, tūm maxime ut
genuinum adoratus organon existeret. (a) Partem esse ne-
mo negaverit, cùm ipse *Galenus* (b) quando partem de-
finit,

(a) Casser. Penthaest. l. 3. sect. I. c. 2. (b) de U. P. l. 1. c. 1. & Casp. Hofmannus in
Comment. ad h. l.

finit, quod sit corpus neq; undiquaq; circumscriptio-
nem habens, neq; undiquaq; cohærens, cum reliquis
exempli loco afferat Nasum. Organicam esse non tam
quod ex pluribus partibus componatur, quam quod
functiones certas perficiat intelligimus. Vid. de istis *Ju-
lium Cafferium Placentinum.* (a)

§. II.

Sed ut ordine provehar nec incertis abripiar fluctibus
attento circumspiciam oculo, quas tūm externas tūm
internas nasi strūtura exhibeat componentes totum par-
tes; eò tamen simul observato moderamine, nedum ta-
libus perlustrandis medio in cursu vacare lubet, longius
a portu aberrem.

§. III.

Primum igitur conspectum subit Nasi cutis, cuius
accuratam descriptionem proposuit *Cafferius*: (b) notans
eam esse cæteris faciei partibus duriorem & tenuiorem,
musculisq; adeò annexam, ut *Anatomicorum manibus*,
in separando difficultatem insignem pariat; qualem *Bau-
inus*, (c) ex communi experientiæ decreto etiam statuit;
iujus verò rationem subjicit mox citatus *Cafferius*, (d) ut
artilaginum & muscularum nasi tenuitati ac infirmitati
in sursum trahendis alis succurreret: ita ut nunquam mu-
sculi immotâ cute agant, imo & ipsa quasi musculosa di-
enda videatur. Neque id silentio prætereundum puto,
utem nasi dorsum cum primis investientem læsam no-
abilem relinquere cicatricem. Vide alia plura de nasi
ute notabilia in sæpe citato *Cafferio*. (e) Cuti, tanquam
nembranæ exteriori, associo internam, quam sive cutem
eflexam, ubi alas intus septumq; investit, sive duræma-

B

tris

(a) l. c. sect. 2. c. 1. (b) d. l. c. c. 3. (c) Anat. l. 3. c. 46. p. 456. & Glandorp. de Po-
lyponarium cap. I. (d) l. c. sect. 3. c. 5. (e) de Fabr. Nat. l. 3. sect. 3. c. 5.

tris sobolem in summitate & radice narium, aut utriusq;
prolem in medio dixeris, parum refert, adeoq; ~~anag~~
mihi videtur ~~anag~~ *Casseroia* *Casserii*, dum eam constituit tri-
plicem; quamvis prudenter attenderit, illam quod magis
ad Ethmoidei ossis penetralia assurrexerit, exquisitiori
taetu gaudere; sed aliam, quam ipse assignaverat, ob ra-
tionem, scilicet, quia ibi nervorum plurium intertex-
tu fruitur.

§. IV.

Philosophorum creditus Phœnix *Aristoteles* (a) oper-
culum quoddam insuper naso peculiare attribuit, non
omnibus animantibus sed respirantibus tantum propri-
um, ita ut non nisi eo per aëris ingressum aperto, olface-
re possint: de quo avidus Lector si velit, consulat nitidam
quondam Noricæ hujus Smaragdum *Gasp. Hof-*
mannum, (b) ut & *Oelbasium*, (c) *Laurenbergium* (d) & *Sebi-*
zium; (e) in hos verò multis objectionum catapultis de-
tonant *Casserius* (f) & *Bravus*, (g) idque ne lynceis ocu-
lis repertu dari tradunt. Sed ignoscant mihi, si illis ab
Excellentissimo Dn. PRÆSIDE, Fautore & Præceptore obser-
vanter colendo, edoctus, demonstravero, in homine, (de
quo Aristoteli primarius sermo,) ad narium radices tale
quoddam operculum membranaceo-cartilagineum ad-
esse, valvulae nomine ob mobilitatem condignum, idque
digitis etiam intrusis explorari posse; ut adeò frustra illud
rationum telis impugnat, quod certa hic sensus noticia
confirmat.

§. V.

Sequuntur musculi, de quorum numero varia variis.
Casserius in hominibus unicum latum per utrumq; nasum

ex-

(a) 2. de Anim. text. 100. (b) Comment. in Galen. de U. P. §. 560. (c) Semin.
Pestilenti disquisit. secund. c. 8. (d) Disp. de catarrhis th. 15. (e) Disp. Med.
22. §. 5. (f) I. 3. sect. 3. c. 6. (g) de saporum & odorum differentiis c. 15.

expanfum promit, (a) inveniffe s^etamen ait suo marte geminos musculos exiguos, tenues, myrtiformes, ortum trahentes à narium lacu, h.e. osse superioris maxillæ, inde supra alas assurgentēs, & tandem fibris transversis obliqu; ad nasi pirulam sive mucronem vergentes tendinoso fine ibi cartilagini arctissimè adhærentes. A Galeno & Columbo gemini statuuntur, unicuiq; lateri unus. (b) Quatuor recenset Laurentius, (c) duos nempe constringentes, duosque dilatantes; Quinq; Glandorpius, (d) unum comunem & IV. proprios. Sex adducit P. Barbette, (e) duos deprimentes, duos dilatantes, duos constringentes, additq; in Nasutis duos aperientes. Septem Riolanus, (f) dividitq; in unum communem & reliquos proprios; cui consentit quoad divisionem & numerum Bauhinus. (g) Octo sive quatuor paria Spigelius, (h) Marchettis, (i) Lindenius, (k) & Isbrandus de Diemerbrœk enumerant, (l) cui postremo album calculum adderet tutissimum videtur. Et prædictorū quidem muscularum ope voluntarius Nasi motus perficitur, dum par primum triangulare alas narium sursus versus foramen lacrymale attollendo diducit; secundum labio superiori commune, priori quoad usum respondeat, dum versus propinquum maxillæ superioris os movet; tertium circa pinnae radicem exortum, ac supra alam versus ejusdem angulum excurrens, narium dilatationi quoq; inservire creditur, & quartum deniq; exile, nec nisi in Nasutis distinctè conspiciendum sub tunica narium parte interiore latens ab ossis Nasi extremitate ortum in alam expanditur eamq; adstringit. Plura de

B 2

his

(a) libr. 3. Sect. 1. c. 7. (b) Bauhinus Anat. l. 3. c. 64. in marginalibus. (c) lib. 2 de sens. organ. (d) de polypo narium c. 1. p. 3. (e) Anat. Pract. l. 2. c. 1 (f) Anthropol. l. 5. c. 12. (g) Anat. l. 3. c. 64. (h) de humani Corporis Fa- brica l. 4. c. 5. (i) Anat. c. 13. (k) Med. Physiol. l. 1. c. 12. Art. 1. §. 13 (l) Anat. l. 3. c. 19.

his & speciosa , vid. apud *Casserium* (a) & *Glandorpium* (b) ad quos brevitatis ergò B. L. relegamus.

§. VI.

Cartilagini septem *Lindenius* (c) in theatrum producit, tres nempe laterales , unam medium , duas in alarum oris , duas constituentes columnam. *Riolanus*, (d) *Baubinus*, (e) *Spigelius*, (f) *Diemerbrækius*, (g) ut & exoriens *Helvetiae Sol Muraltus* (h) quinq; numerant, tres inferiores , & duas superiores. Inferiores duas sunt laterales , inter respirandum mobiles , & septum five dia-phragma quod immobile est ; superiores sunt cartilagines postremæ in infimâ narium parte positæ , & ossibus adnatæ. Uſus Cartilaginum erat, ne adeo fragilis foret nafus , sed occurrentium duriorum impetu cedere posset.

§. VII.

Ethæc di&t;a sufficient, de structura nasi carneo-cartilagineâ, nunc Oſſilaginis Divæ auxilio osseam quoque ordior.

§. VIII.

A pud Veteres equidem tantâ in reverentia demortuorum ossium fuere particulæ , ut grande nefas & morte piandum scelus fuerit , ossibus insultare demortuorum. (i) Nemo verò mihi vitio vertet, si ad Dei T.O.M. gloriam Nasi ossa in lucem produxero.

§. IX.

Dividuntur ergò illa in propria & communia. (k) Propriorum numerantur tria, duo externa lateralia , & unum

(a) l. 3. Sect. 3. c. 8. (b) de Polyp. Nar. cap. 1. p. 2. (c) Med. Physiol. l. 1. c. 12. Art. 1. §. 13. (d) Anthropol. l. 4. c. 4. (e) Anat. l. 3. c. 65. (f) de hum. corp. Fabr. l. 3. c. 2. (g) Anat. l. 3. c. 19. (h) Vade-mecum Anatomic. p. 228. (i) Id. p. 165. (k) Isbrand. de Diemerbræk Anat. l. 3. c. 19. Baubin. Anat. l. 3. c. 65.

unum internum medium, quod Nasum in duas partes dirimit. Neq; triangularia sunt hæc ossa, sed quadrangularia, alterâ parte longiorem superficiem habentia, circa initium paululum incurvata, & statim ad frontem sese erigentia. (a)

§. X.

Commune ad Nasi summam radicem os fixum hæret, quod cuneiforme dicitur, non tam quod formam æmuletur cunei, sed quod cunei ad instar reliquis ossibus sit interpositum. (b) Basilare quoq; dicitur, quia basin constituit. Hoc ad secundum usq; mensem in foetibus est cartilagineum, tertio apparent Processus pterygoidei & sic duobus constat ossibus. Quartò & reliquis mensibus secundum Riolum, (c) Lindenium, (d) Muraltum, (e) & Laurentium (f) quatuor constat ossibus; secundum Diemerbrækium tribus; (g) secundum Excell. Kerringium (h) octo seu quatuor paribus: Primum sunt Processus pterygoidei; secundum principium eorum processuum, qui postea maxillam superiorem tangunt; tertium, principia ossis, quæ Sellam equinam postea constituunt, nunc ossicula distincta, caput majoris aciculæ æquantia, quæ celerrime in formam semilunulæ evanescent; quartum, principia ossis, qua nervi visorii transmittuntur, tunc ossificatæ binæ lineolæ. A nono mense augetur & corroboratur paulatim os, cartilaginesq; minnuuntur, ut in unum os IV. paria coëant. Processus habet octo, quatuor externos, quorum duo anteriores vocantur *Mepygoides* aliformes, vespertilionum alis si-

B 3

miles

(a) Bauhinus l. m. c. Lindenius Physiolog. Med. c. 12. Art. 1. §. 11. Casserius de Nasi Fabrica Sect. 1. c. 11. (b) Spigelius de hum. Corp. Fabr. l. 2. c. 8. p. 41. (c) Comment. in Galenum de Ossibus p. 795. (d) l. m. c. (e) Vade-mecum Anat. Exercit. 5. p. m. 165. (f) Anat. l. 2. c. 14. (g) Anat. l. 9. c. 7. (h) Osteogenia Foetum c. 6.

miles, duo posteriores geminis apicibus versus styloidem protenduntur; duos præterea internos, qui parvi sunt, & sellam Equinā in se continent. De Sella Equina notandum venit illud controversiarum mare, quod movit tanta Anatomicorum multitudo, an nempe perforata sit necne? Medicorum Coriphæus *Galenus*, (a) *Lindenius*, (b) *Hofmannus*, (c) *Andreas Laurentius*, *Franciscus Putaeus*, *Jacob. Sylvius* ac *Franciscus de l' Boë Sylvius* affirmativam partem tenent, & quis resistet tot armatis tantorum Autorum opinionibus, eorumq; (uti tradunt) autopsiæ? Sed refutavit eos *Diemerbrœk*, (d) inquiens: castra secutos esse *Galeni*, cumq; *Galenus* statuisse, cerebri pituitam è Ventriculis diffluere in glandulam pituitariam, (e) Sella impositam, per eamq; evacuari, & intereatamē nullas Vias videret, per quas pituita ex glandulis refluere possit, ad nasum & palatum, finxit & ut verisimilem sententiam proposuit, Sellam foraminulis esse præditam, quam cæteri secuti foramina hæc in Sella statuerunt, quamvis nec *Lynceis* reperi possint oculis; neq; solus hoc statuit, sed stant ex ejus parte alii Anatomicorum multi *Vesalius*, *Columbus*, *Fallopianus*, *Valverda*, & *Baubinus*. Ast pagellæ prius deficient, quām ut omnia ad os cuneiforme pertinentia in his Chartarum angustiis recitem. Transeo hæc & cupido Lectori Anatomicorum de hoc osse marsupia relinquo, plena sunt controversiarum, sed jam non promendarum. Sufficiat interim indicasse, liquorem ossis cuneiformis foraminulis injectum non ad palatum immediatè ferri, sed per osseos istos mæandros, (modo maiores modo minores, prout glandula pituitaria major vel minor extiterit,) vas a sive canales continentes venarum jugu-

(a) de U. P. I. 9. c. 31. (b) Med. Physiol. c. 8. Artic. 13. §. 90. (c) Comment. in Galen. d. U.P. §. 865. (d) Anat. I. 9. c. 7. (e) de glandula pituitariâ vide plurima Curiosa in Wartthoni Adenograph. c. 25.

jugularium in sinus laterales expansarum principia subire, sicuti post *Cl. Schneiderum* notavit *Willisius*. (a)

§. XI.

Eo nunc & quid de osse Ethmoide notandum, digito attingo. Dicitur hoc cribiforme quia multis exilibus foraminulis est pertusum, paucis rectis, plurimis tortuosis. (b) In foetibus & pueris os cribrosum non est totum cartilaginosum, quod *Coiterus*, (c) *Riolanus* (d) & *Lindenius* (e) putarunt; neq; constat tribus partibus ossis, quod *Eysfoniuss* (f) affirmat, *nam septum narium cavitatem discriminans nunquam in foetibus est osseum, uti nec crista Galli, nec tabula cribri instar perforata, unde nomen inditum est huic toti ossiculo; sed tota ossificatio, quae in foetu circa hoc os oritur, spongiosis septo utring adhaerentibus ossiculis quinto mense, & squamulis duabus ad oculorum orbitam constituendam concurrentibus, sexto circiter mense absolvitur; reliquae ossis hujus partes cum sint & maneant cartilaginosae, etiam multo post nativitatem tempore, non est quod iis Lectorem detineamus, satis enim magna est foetuum hoc in osse ab adultis distantia, quod neq; crista galli, neq; septum transversum narium neq; immediatum odoratus instrumentum habeant ossa, sunt verba Clariss. Kerkringii.* (g) Unicum adhuc de osse Ethmoide addo, nempe usum, is vero à plerisque triplex censetur: Primus ut sit defensaculum contra aëris irruptionem in cerebrum, secundus ut serviat vacuandis mucis, tertius (addit *C. Hofmannus*) (h) ut sit *respirator vocis*, quod exemplo polypo correptorum probat, qui de naso solvant, Belgæ efferunt dor de Neeß sprefen / Saxones Inferiores dor de Neeß schnufen / Nostrates durch die Näß re- den.

(a) Anat. Cerebr. c. 4. (b) Causam vide ap. Bravum de sap. & odor. differ. cap. 15.
 (c) de ossibus Infantum. (d) Enchirid. Anat. I. I. (e) Med. Physiol. cap. 8.
 Art. 14. §. 93. (f) de ossib. Infant. (g) Osteog. foet. c. 7. (h) Comment. in Galen. de U. P. §. 446.

den. Cum *Hofmanno* sentiunt multi, ex illis *Montagna-*
na, *Benedictus Faeventinus*, *Glandorpius* (a) & *Lindenius*;
 (b) *Schneiderus* tamen negat. Vid. *Horstium*. (c) *Quartum*
 quoq; adjungit *Clariss. Spigelius*, (d) ut crista Galli falci
 substernatur, ac sinui tertio duræ meningis tutam se-
 dem, cui connascatur donet; & quintum, ut Nasum di-
 stinguat, & sic Nasus cum cæteris sensibus duplicatum
 odoratus organon habeat.

§. XII.

Ast ordinis pulsant fores quoq; processus mammil-
 lares, à figura feminarum papillas æmulante sic dicti, (e)
 numerantur duo, (f) albi, molles, oblongi, ad finem bul-
 bosi, intus cavi, (g) naturæ peculiaris, cui similem in toto
 corpore particulam non inveneris. (h) In hominibus
 tenues & parvi, cerebri tamen Ventriculos attingunt, il-
 lisq; implantantur; in brutis verò multò sunt majores,
 præsertim annotavit in *Talpa*, animalculo illo processus
 mammillares cum osse cribiformi notabilis esse magni-
 tudinis, & *Anseres* inter omnia animalia maximè pollere
 odoratu, ob processus mammillares longiores, *Muraltus*;
 (i) hinc rectè cecinit *Lucretius*:

- - - *humanum longè præsentit odorem*

Romulidarum acri servator candidus anser.

Cæterum processus hi mammillares, (in foetibus quām
 adultis majores si *Riolano* (k) credimus,) è cruribus me-
 dullæ oblongatae juxta ventriculos cerebri anteriores
 enati, mole sua tumidulâ anteriora versus exporriguntur,
 sicq; adeunt ossis cribrosi à mediâ asurgente crista Galli
 divisi

(a) de Polypo Narium Observ. 2. p. 56. (b) Medicinæ Physiologic. c. 8. Artic. 14.
 (c) Manuduct. ad Medicinam P. 1. c. 1. Sect. 1. §. 8. (d) de humani Corporis
 Fabrica l. 2. c. 8. (e) Diemerbrœk. Anat. l. 3. c. 8. (f) Fallop. l. 3. Observ.
 Anat. c. 14. Spigelius l. 7. c. 2. Glandorp. de Polyp. c. 1. (g) Casserius l. 3.
 sect. 1. c. 19. (h) Casserius l. 3. c. 1. (i) Vade-mecum Anat. p. 542. (k) Ar-
 chrop. l. 6. c. ult.

divisi utrung; lacunar, ubi dum in foraminula hujus fese insinuant tutelæ gratia duræ meningis involucro obvolvuntur, tandemq; in filamenta, tubulatas narium cavernas succingenti membranæ interspersa, desinunt: eadem verò filamenta, cum in cane Venatico longè plura ac majora, quam in ullo animantium notata fuerint à *Willisio*, (a) non mirum ipsum odoris sagacitate reliqua antecellere. Nervis igitur merito accensendos puto dictos processus mammillares, *Willisium* (b) aliosq; Anatomicos, quibus fungum pro cerebro esse nequaquam dixeris, secutus, quicquid objiciant *Diemerbrœkius*, (c) *Baubinus*, (d) *Riolanus*; (e) ac geminos iisdem attribuo usus: nempe, ut ω tus animales ad organon odoratus actuandum devehant, & serosam anteriorum cerebri ventriculorum colluviem ad nares expurgent, acres \triangle easq; odorum species, (si opus fuerit quandoq;) attemperaturam; hunc enim finem natura provida salutis magistra respxisse videtur, dum singulari cavitate, (stilum minorem admittente, & ad latus proximi ventriculi anterioris ducente, sicuti in Museo Excell. Dn. PRÆSIDIS observare mihi licuit,) processus mammillares pervios esse voluit. Præter hoc autem modo expositum nervorum par, (quod rectissimè *Willisius* (f) primum in ordine recensuit, cui assentitur *Barbette*, (g) & subscribit *Muraltus*; (h) *Diemerbrœkius* (i) autem tertium, *Lindenius* (k) juxta vulgarem Versiculum.

Olfacit O&tavus, faciei nonus inerrat,

O&tavum constituit) duos ramulos à pari quinto *Willisi* huc mitti & in utramq; narem distribui Anatomicorum

C

indu-

(a) de nervis cap. 21. (b) l. c. (c) Anat. l. 3. c. 19. (d) l. c. (e) Anthropol. l. 4. c. 2.

(f) l. m. c. (g) Anat. Pract. cap. 10. p. 229. (h) Experiment. de Capite.

(i) Anat. l. 3. c. 19. (k) Med. Physiol. c. 12. Art. 2. §. 20.

industria notavit, ut facilis sic pateat consensus nares inter & palatum intercedens. Adhæc silentio prætereundum nec illud erit, in bove, caprâ, & similibus, quæ herbaceis vescuntur, longè majores esse quam in carnivoris animilibus; rationem affert *Willisius*, (a) quoniam illis ad dignoscendas herbarum multiplicium vires, magis exquisito olfactus sensu opus esse videtur.

§. XIII.

Restat ut ductus narium excretorios alios propo-
nam: *Primus* itaq;, notante *Casserio*, (b) à cavitate illâ quæ
frontis ossi insculpta superciliorum protuberantiam ex-
terioris efficit, & intus profunda ad medium quasi fron-
tem elevatur, ductus quidam internâ oritur parte, qui in
initium ossium turbinatorum evidenter cavitatem ha-
bentium tendit. *Secundus* adest ductus ab auribus ad
nares exorrectus, qui à conchâ exteriori processus pe-
trosi incipiens, indeq; obliquè ad anterius interiusq; basis
capitis latus fertur, hincq; partim cartilagineâ partim
membranofâ substantiâ auctus, inter duos faucium sive
gulæ musculos, ulterius procedit, donec juxta radicem
processus pterygoidæi interni in alteram narium cavita-
tem desinat, & in crassam palati tunicam inseratur, ita ui-
terminus hujus canalis palato & naribus communis sit
cui socios veluti canaliculos binos adjunxit *Casserius*. (c)
Tertius obvenit ductus nerveus lacrymalis dicendus, qui
punctis lacrymalibus continuus à foramine ossi proximo
insculpto anteriora versus egreditur, nec procul à na-
rium extremo in ovibus, vitulisve, manifesto foramine
terminatur: Et hos quidem ductus narium communes
denominare posses, per quos cerebrum, aures, oculi
fluidum quoddam aqueum vel lymphaticum naribus
trans-

(a) l. m. c. (b) l. 3. Sect. 1. c. 18. (c) l. 3. Sect. 1. c. 6.

transmittunt. Nunc verò inquirenda sunt vasa narium excretoria propria, in ipsâ narium tunicâ orta, quæ à Clariſſ. Stenonio, (horum, nec non modo propositi ductus tertii, principe observatore,) duorum recensentur generum: Breviora alia, alia longiora. Breviora ex glandulis tunicæ nares intus succingentis dimituntur ostiolis exiguis, nec nisi per humoris expressi guttulas dignoscendis, atq; humorem, ab arteriolarum ramulis secretum, in membranam pituitariam Cl. Schneideri anteriorem, exstillant: Longiora canaliculorum lymphaticorum nomen merentia, bina occurunt, (in utroq; nasi latere unum,) quæ in tunica narium internâ, supra molarium dentium regionem, ex rivulis à glandulis ibi præsentibus prorumpentibus minimis, in unum alveum confluentibus, principio sumto, sub ductu nerveo lacrymali ascendunt, & anteriora versus reflexa, circa extrema demum narium, quo loco suprà reliquam planitatem cartilago exsurgit, in sinum intra cartilaginosam alarum protuberantium obvium se exonerant, atq; prout descripta sunt in ovillo capite sese conspicienda præbent, in vitulino autem non æque se produnt, notante Excellentiss. Dn. PRÆSIDE, tametsi narium ossa cautè effringantur, nec in homine eadem Stenonio unquam visa sunt.

§. XIV.

Jam verò humidum, quod prædicta Vasa naribus affundunt, cum eo, quod per processuum mammillarium cavum amandatur, idem videtur obire munus: Sed inquires, humidum quodvis odoratui obsistere, siccq; organon impedire, cùm artis Medicæ antesignanus Hippocrates (a) scripserit: Καὶ ὅτεν μὴ ἔηει ἡ τὰ κεῖλα τῆς ρινὸς, ὁ σμᾶσθ ἢ ἔηροτέρων αὐτὸς (οὐ εὔκεφαλός) εἰαυτὸν ἀκελλέσερός ἐστιν:

C 2

ubi

ubi quidem cavitas nasi sicca fuerit, ipsum seipso exactius arida olfacere, & paulò post, ἐνόταν ἢ ὑγείαν τεων αἱ πῖνες, & διώστας οἱ φραινεῖται, quum verò nares humectæ fuerint, olfacere non possunt? Verissima, fateor, scripsisse Hippocratem, si humidum immoderatum aut viscosius nares non irrigans, ast obruens, innuerit; si autem simpli- citer verba Hippocratis interpretari velles, experientiæ bellum indicendum foret, quâ constat, canes odoris sagacitate laudatissimos, nares habere perpetuo humidas; ne dicam, humiditatem omnino hîc videri neces- sariam, ut internam narium tunicam ab exsiccatione ac corrugatione alioquin metuendam, defendat, halitibus- que odoriferis ad nervorum poros viam pandat facilio- rem. Interea salutis provida magistra optime naribus prospexit, ne humili ex collectione copia nimia iisdem impedimentum afferret, dum viam paravit illum à nari- bus ad palatum deducentem, transitum scil. brevem non canalis sed foraminis nomine exprimendum, à Ste- nonio (a) optimè descriptum.

(a) Observat. de narium Vasis.

CAPVT TERTIVM. *Narium Lamellæ, offeq; Tubuli.*

§. I.

Miror hîc Anatomicorum turbam (cùm in minori- bus etiam humani corporis indagandis alioquin occupati esse soleant) tam notabiles Nasi partes fugitivo transiisse oculô, ita ut præter *Julium Cafferium Placen- tinum*, (a) *Nicol. Stenonem*, (b) & *Caſpar. Bartholinum*, *Thomæ filium*, (c) vix unus aut alter tam veterum quam recen-

(a) l. 3. c. 16. Sect. 1. (b) in histor. pisc. ex canum genere dilecti, annexum Myo- log. Specim. p. 141. & 142. (c) In Disp. peculiari de olfactus organo Hafn. hab. An. 1679. d. 26. Febr. R. Georg. Nicol. Seerup.

recentiorum eas attigerit, multo miuus accurate descriptas tradiderit.

§. II.

Sistam igitur illas Tibi B.L. descriptas, prout monstrante *Excellentissimo Dn. PRÆSIDE* in ovillo capite conspectum meum subierunt: Hic vero si nares cautè, juxta sitū septi intermedii intus à medio palato incipiendo, cultri acie divisoris, dorsumq; supra effrēgeris, sub osse ethmoidæo lamellas quamplurimas conspicies osseas, mox juxta has è latere osseo enatos tubulos maiores, seu turbinata ossa *Casserio* (a) dicta deprehendes, sibi invicem imposita, atque in gyros minores circumvoluta; qualia numero tria in homine etiam describit *Cassarius*: Primum non procul ab osse Ethmoidæo exortum, alterum similem originē natum, paulò vero ad interiora progressum sejunctum, tertium sumto suprà ossa palati principio ita demissum, ut inter ossa palati parum interstitii relinquat, minus excavatum.

§. III.

Casp. Bartholinus (b) in cane Venatico exquisitissimi sensus, inextricabilem & plane innumerabilem lamellarū progerminationem ac circumvolutionem invenit: lamella enim primò bifida semel atq; iterū utrinq; circumvoluta erat, deinde à superficie ejus superiore exurgebant sex aliæ lamellæ, quarum nonnullæ bifidæ etiam erant, sed omnes itidem in figuram semicircularem curvabantur, iterumq; plures lamellas emittebant, quarum quælibet inextricabilem numerum aliarum lamellarum exhibebat, ut impossibile esset earum numerum inire & figurâ exprimere.

§. IV.

Id vero porrò notatu dignum videtur , turbinata ofsa, quæ ex narium parietibus cavitatem genarum internè sepientibus enascuntur , primum tenuia statim crasse scere, (date hujus vocis veniam Anatomizanti Ciceronianis manes) & formam turbinis assumere , undiq; libera, nec nisi à principio suo deorsum pendentia ; undique cavernosa, & minimis pertusa foraminulis quasi spongiosa existere ; *Excellentissimus Dn. PRÆSES*, in tunicâ illa ipsa ossa succingente, recto & sibi invicem perpendiculari ductu, exiles, sed numerosissimos vasorum sanguineorum à carotidibus & jugularibus externis propagatorum rivulos, curiose mihi demonstravit ; juxta hos dein fibras conspeximus albantes, pressamq; leniter tunicam per infinitos poros mucaginem reddidisse , ex glandulis interspersis, sive carne papillosâ *Diemerbröckii* (a) promanantem.

§. V.

Sequitur nunc usus, quem natura tubulis hisce intendisse videtur : *Casserius* (b) putat illos factos esse , ut suo calore aërem, nempe ingredientem, præparent, ejusq; dum appellit, impetum frangant : At rem acu non tangit, proprius ad veritatem collimat fulgidum Philureæ sidus *Excell. Bohnius*, dum has narium labyrinthinas cavernas, tubulosq; [uti vocat] (c) mirifice fictos atque dispositos, plurimum ad odorandi organon formale conferre existimat, quatenus non saltem ab exteriore & latiore hiatus interius & versus os cribiforme magis magisq; angustantur, hinc corpuscula odora magis cogunt & compingunt, ut spissior horum ad nervos olfactorios appul- sus

(a) Anat. l. 3. c. 8. (b) de Nasi fabrica l. 3. Sect. 3. c. 16. (c) Disput. Physiolog. 19. §. 13.

sus contingat; sed quatenus eadem cavernæ ut totidem quasi remoræ ac recessus exhalationibus odoriferis colligendis atque cumulandis inserviunt. *Steno* (a) cùm in pisce ex canum genere dissecto, observasset nervea filamenta in tunicam narium à processibus mammillaribus diffusa, & hæmisphærium membranosum planum tenuissimis lamellis itidem membranosis; hinc patere ait, quâ ratione sibi ubiq; similis natura, per hasce membranulas, idem in hoc pisce præstare voluit, quod in nobis aliisve animantibus plurimis efficit, numerosas spongiosorum ossium lamellas, membranis involvendo: Scil. quo facilius per ambiens fluidum diffusa corpuscula sensum istius partis afficerent, lamellarum numero id efficit, ut in exiguo spatio magna superficie sit extensio, adeoque receptum eō spatiō fluidum, varieq; inter lamellas divisum magnam corporis superficiem contingat; at quod major est superficies, quæ ambiente contingit, eō plura ambientis corpuscula simul in illam partem agere possunt.

(a) l. m. c.

CAPVT QVARTVM.

Odoratus sensus descriptio.

§. I.

Liceat ulterius progredi & odoratus sensum in scenam producere: Hic verò in hominibus non tantum, quantum in brutis præstat, Φάνλως γὰρ ἀνθρωπῷ αἰσθατῷ teste *Aristotele*; (a) cuius quidem causæ multæ & elegantes proferuntur à multis: Philosophus connatam organi odoratus in nobis imperfectionem accusat, cui sens-

(a) l. 2. de Anima c. 9. t. 92.

sententiae Viri *πολλῶν αὐτάξιοι ἀλλῶν* subscribunt; quos inter *Casserium* (a) *Johannem Bravum* (b) eruditum quidem illum, licet parum politum Medicum Salmanticensem, (c) tūm *Willisium* (d) & *Bohnium* (e) nominasse sufficiat, horum vero postremi duo experientia edocti scite affirmant, in brutis non tantum ruminantibus, sed cane etiam, fele, lepore &c. processus mamillares longe ampliores ac in homine observari. *Illustissimus Comes ac Dominus Kenelmus Digby* (f) odoratum in homine debiliorē pronunciat, propter crassiores fortioresq; vapores ē ventriculo mensāq; perpetuō ferè ortos, quorum occasione fuliginibus nares obsidentur, ut effluvia extus advenientia dignosci nequeant; *ουίψηθ* est *Morbofius* (g) *ingens Wismariae Patriæ suæ lumen p.t. Kilonensis Prof. Clariſſ.* rationibus certis persuasus, præcipue desumptis à canibus minore narium sagacitate pollutibus, dum largiori pastu saginantur, jacentq; in culina ubi nidores undiq; hauriunt, quam cum in latibulō suō clausis parcus aptusq; venaturis cibus præbetur; Hūc facit etiam ulterius exemplum Johannis illius Leodiensis, qui cum diu in Sylvis vixisset glandibus & radicibus pastus, milites fugiens feraces, tanta polluit facultate, ut cibos odoratu explorare, homines ac Venatores distinguere, eorumq; insidias eludere potuerit, inde vero ad lautiorem cibum reversus, mirandam narium sagacitatem penitus amisit, vid. *Digby*. (h) Quid? quod Pythagoræ, Zenoni, cæteræque Philosophorum antiquorum turbæ, ex aquarum bibitione & olerum deglutitione non tantum ingenium auctum evenisse creditum sit, sed odoratus etiam atque sen-

(a) de Nasi Fabric. l. 3. Sect. 2. c. 4. (b) de saporum & odorum differentiis c. 12.
 (c) ex Judicio Illustriss. Digby Tract. de Nat. Corpor. c. 28. p. 317. (d) de Anima Brutorum p. 1. c. 13. (e) Disp. Physiolog. 19 §. 6.7. (f) Tract. de natura Corporum c. 28. (g) Disp. de Sensuum paradoxis c. 5. (h) l. m. c.

sensuum tām extēnorū quām intēnorū defēcatiōrum vigor; tamētē si alioquin distichon sequens in ore o-
mnium circumferatur:

*Hauriat anser aquam, dentur bona vina Poëtis,
Pessima describit carmina potor aquæ.*

Job. Clauberg. (a) & *Cl. Bechmannus* (b) Philosophi acutissimi, olfactum in homine hebetiorem suspicantur, ob cerebri humiditatem, quemadmodum notum sub aquis olfactum aut nullum, aut obscurionem esse, & catarrho laborantes sēpiūs nil olfacere. Ego vero *Aristotelis Willisi* atque *Bohni* effato calculum meum addo, cum *Willisio* (c) porro animadvertis, olfactus sensum propterea emicare in brutis, ut cūm ratione destituantur, illo solo judice alimenta congrua & salubria ad distans inter noscere, & à noxiis ac incongruis discernere, sed & hoc modo viētum absentem vel in abstruso positum venari, facillimeq; investigare queant.

§. II.

Sed memorem mihi nunc quis vellicat aurem, ut odoratum describam, id autem optimè præstabō, si verbis *Hippocratis nostri Latini, Nobilissimi, Amplissimi, Excellettissimi, atq; Experientissimi Dn. MAVRICII HOFFMANNI, Senioris, Med. D. hujusq; in hac Noricorum Prof. Publ. Primar. Celeber. Potentiss. Elect. & Sereniss. March. Brandenb. Archiatri Speciatissimi, Patroni & Præceptoris ad aram iusq; de venerandi, (d) dixerim: olfactum sive olfactionem non esse aēris odori ad nares attractionem, sed ejusdem à nervulis ossi cribiformi proximis perceptionem.*

§. III.

Attractionem equidem aēris (aut si mavis impulsum)

D utplu-

(a) Theoria corporū vivent. §. 892. (b) Syst. Phys. l. 6. Part. Spec. c. 6. Axiom. 2.
(c) de Anima Brutorum l. I. c. 13. (d) Synops. Instit. Anat. Disp. xx. th. 1.

ut plurimum in respirantibus concurrere, nemo negaverit, quemadmodum eam probare allaborarunt *Baubinus*, (a) *Anton. l' Grand*, (b) *Diemerbrockius*, (c) *Swammerdamm*, (d) *Gualterus Needham*, (e) qui ulterius confirmaturus odoratui inservire vapores cum impetu per nares in inspiratione attractos, provocat ad experimentum *Loweri*; is vero arteriam asperam cani in jugulo præscindere solet, eamq; vulnere cætera sanato extorsum vertere, ut non per os & nares, sed prorsus per guttum spiret, tuncque non vocem solum, sed & olfactum penitus amitti, neque teterimis odoribus canem excitari posse deprehendit.

§. IV.

Firme nihilominus stat talo, odori aëris attractionem proximè non efficere odoratum, sed receptionem; hinc etiam est, quod fœminæ uteri strangulatione detentæ, tametsi omni quoad sensum respiratione destitutæ fuerint, odoribus ad vitam revocentur, vid. *Casserius* (f) *Bohnius*, (g) hosq; optimè sentiant, ita ut accurate moneat *Vir Nobilissimus Excellentissimus atq; Experientissimus Dn. JAC. PANCRAT. BRVNO, Phil. & Med. D. bujusq; in hac Palecome Prof. Publ. Celebratiss. Fautor & Præceptor jugiter honorandus*, (h) ne frequentius fragrantibus utatur rebus medicis, non tantum ob rationem quam *Lud. Septalius* (i) notavit, nimirum, ne morbi inde concitentur, saepè enim moschum & similia redolentes hystericas mulieres enecant; sed etiam ob hanc, quod nimia fragrantia impedimento possit esse, ne alieni odores v. g. conclavis, ægroti ipsius, sudoris, urinæ &c. recte possint observari,

è qui-

(a) Anat. I. 3. c. 66. p. 465. (b) Instit. Philos. Part. 8. Artic. 14. (c) Anat. I. 3. c. 19. (d) de Respiratione c. 1. §. 4. (e) de Format. foet. c. 6. p. 189. (f) de Nasi Fabr. I. 3. Sect. 2. c. 2. (g) Disp. Physiol. 19. §. 11. (h) Dogmat. Med. General. part. 3. c. 1. §. 8. (i) in Anim. I. 1. §. 7.

è quibus tamen perfectiorem noticiam cognoscendorum & agendorum liceret adipisci.

§. V.

Et quis quæso dubitaverit, cùm aér elasticâ sua vi in minimos etiam penetret poros, ipsum cumprimis ab odoriferis tenuium partium Sulphureo- Θ linis volatilibus & Ω -tuofis particulis excitatum, patulos narium tubulos ingredi, sensoriumq; attingere? ut adeo inspirationis ope aér solum copiosior impulsus, internum odoratus organon potentior attingere videatur.

CAPVT QVINTVM.

De Odoratus Organo.

§. I.

Nunc Hannibal ad portas! non tot in ejus timendo exercitu capita, quo h̄ic ferme partes dissentientes. Hoc afferit modo unus, modo negat & alter, plena dubiorum sunt Anatomicorum scripta, plena rixarum, & calamis eorum adhuc pruriunt.

§. II.

Aristoteles (a) Τῷ οὐδὲν τὸν ἐγκέφαλον τόπῳ τὸ τῆς ἔσφρηστος αἰσθήσεων εἶναι ἴδιον, circa cerebrum loco odoratus proximum sensorium est, ait, cùm odor fumosa evaporationi existat; rursus alibi (b) ipsum cerebrum odoratus organon constituere videtur, ita enim scribit: odor ad cerebrum penetrans movere solet sensionem; nunc vero Nasum (c) olfactus instrumentum facit, ut adeo merito eum alter artis Medicæ antesignanus Galenus (d) reprehenderit, quod cum orationis alias & eloquentiæ Parens fuisset,

D 2

set,

(a) de Sensu & Sensil. c. 2. (b) Probl. Sect. 13. Probl. 5. (c) l. 1. Histor. Animal. c. 11. (d) libr. de Olfact. Instrum. c. 5.

set, sententiam suam de olfactus organo adeò obscure proposuerit, ut quid senserit, vaticinandum sit.

§. III.

Sed *Galenum* quod attinet, is peculiari suscepta opera pro declarando odoratus instrumento, ab initio equidem, sicuti vulgus credit, nasum ratione primi odo-
rabilium ingressus (a) eo nomine compellari posse docet, quandoquidem, si occlusis naribus Ω um ore adduca-
mus, odorem nullum sentimus; mox verò (b) cerebri
ventriculos anteriores proprium olfactus organon de-
terminat.

§. IV.

Processus mamillares loco ventriculorum ponunt,
Casserius, (c) *Laurentius*, (d) *Baubinus*, (e) *Bravus*, (f) *Nöß-
lerus* (g) hujus quondam Universitatis, nunc lucidum cœli-
fidus, *Cæsar Cremoninus*, (h) [qui eos sub mammilarum
quarundam carnearum nomine intelligere videtur] *Se-
bizijs*, (i) *Bechmannus*, (k) & plures alii.

§. V.

Willisius, Anglus curiosissimus, (l) odoratus prox-
imum organon quærerit in membranis tubulatis & fibris
sensilibus his densissime intertextis; cui quoad fibras af-
sentit ejus popularis *Anton'l Grand*, (m) qui eas à basi ce-
rebri ad nervos propagatas esse vult, ante *Willisium* autem
simpliciter membranam naribus obductam, primicerii
Medicorum Rolfincius (n) & *Schneiderus*, (o) citante & af-
sen-

(a) Libr. cit. c. 1. (b) libr. cit. c. 4. vid. Idem l. 8. de Usu part. c. 6. l. 3. de loc. affect. c. 10. (c) de Nasi Fabr. lib. 3. Sect. 2. c. 17. (d) Anat. l. 11. qu. 12. (e) Anat. l. 3. c. 66. (f) de Saporum & odorum differentiis cap. 15. (g) Disp. de Sen-
sibus externis th. 45. (h) de Sensib. extern. lect. 15. p. 76. (i) Exercit. Med.
22. th. 6. (k) Syst. Phys. l. 6. part. spec. c. 6. §. 13. 14. (l) de Anim Brutor.
c. 15. & Nervorum descript. & usu c. 21. (m) Instit. Phil. p. 8. Art. 14. (n) de
Osse cribiformi. (o) Dissert. Anat. l. 4. c. 29.

sentiente *Mæbio*, (a) odoratus instrumentum esse pronunciaverunt.

§. VI.

Jam quis mirabitur, inter tot contentionum turbas & turmas me ancipitem hærere, quò me vertam? Licebit tamen animi mei sensa proferre, meliora monituro semper promtè obtemperatura. Et primum quidem Cerebrum juxta *Aristotelem* genuinum odoratus organon minime constituendum puto, quia Cerebrum sensorium est commune, uti recte ratiocinatur *Sebiziūs* (b) & *Eustach. Rudius*; (c) neque nasum externum, utpote qui instrumentum odores tantum deferens vel colligens habetur, eoque abscisso odoratus aliquantum perstat; neque ventriculos cerebri anteriores, utpote qui ignobiliori muneri serosarum sc. humiditatum collectioni vacant, neque distinctè & proximè odores percipere possunt.

§. VII.

Existimo autem principale odoratus organon esse fibrillas nerveas, à processibus mammillaribus ad tunicam tubulata ossa & lamellas involventem dimissas, respondentes papillis linguæ nerveis, cutis pyramidibus, acusticis per labyrintheos gyros, & opticis per tunicam retinam expansis.

(a) Institut. Med. c. 4. p. 17. (b) Exercit. Med. 22. th. 4. (c) de Human. Corpor. Affectib. l. 1. c. 36.

CAPVT SEXTVM.

De Objecto Odoratus sive Odoribus.

§. I.

Objectum odoratus constituunt odores, quos describo effluvia tenuia & osa, à corporibus odoriferis

dimissa, hinc cum aëre naribus oblata, ibidemq; præsens principale organon hoc illōve modō moventia.

§. II.

Tenuia esse vel inde constare poterit, quod ad tam distans spatium se cum aëre diffundere, & intra aliorum corporum poros promptè insinuare soleant: Ita namque odor quem Insula Zeilandia cinamomi-ferax spirat præternavigantibus per aëris multorum milliarium tractum apportatur, sicuti rerum Orientalium Scriptores testantur; similiter affirmat illustris *Digbeus*, (a) cùm Parisiis vixisset Oleum Tartari p. d. à *Dn. Ferrier* acceptum, Rosarum tunc florentium odorem imbibisse, quasi Sal Tartari cum à Rosarum solutum fuisset. Huc pertinent exempla bina, quæ narrat *Theod. Kerkringius*, (b) alterum de rustico, qui fistulâ laborabat in humero, & dum cæpas ore masticabat, statim earum per fistulam efflabatur odor; alterum de Chirurgi uxore, quæ cùm puero mammae præberet, ipsaque quod ventris doloribus torqueretur puer, & u Vini anisato uteretur, percepit flatus ab infante emissos anisum redoluisse.

§. III.

Jam verò cuius naturæ hæc fint ratione originis effluvia, meritò in quæstionem venit: Aristoteles illa in tali elementorum mixtione collocavit, ubi calidum & siccum prædominetur, vid. *Casserium*, (c) *Mercuriale*, (d) *Brauum*, (e) & *Bechmannum*; (f) sed objicit inter recentiores *Jacobus Robaultus*, (g) si ex eâ miscelâ, inquiens, odor fieret, cum hæc tactui se offerat, excitare deberet in omnibus locis, qui illi organi vice sunt, sensationem qua illi

(a) In *Theatr. Sympathet.* (b) *Spicileg. Anat. Observ.* 15. (c) *de Fabr. Nas. I.* 3
Sect. 2. c. 8. (d) *de Decoratione* c. 30. p. 336. (e) *de Saporum & odorum
different.* c. 17. (f) *Syst. Phys. I.* 6. part. spec. c. 6. (g) *Tract. Phys. part.
c. 25.* p. 242.

illi esset similis, ideoque manibus odorare deberemus æquè ac naribus, quod experientiæ contrarium.

§. IV.

Chemici à principio Sulphureo odores dependere dicunt, quibus consentit *Clariss. Mæbius*, (a) id verò quoniam raro solitarium occurrit, Θolinum etiam in consortium venire suspicor, hinc cum *Cl. Wedelio* (b) & *Muraltto* (c) Sulphur principium odorum radicale, Θl verò in primis volatile explicativum statuens.

§. V.

Corpora igitur ubi prædicta bina principia rariori texturæ sunt inclusa, nec terreâ aut quapiam fixiori compage detenta, aut ∇ eis nimium immersa, ut aër calore adjutus atterendo vel solvendo atomos decerpere vel elicere possit, promtè odorem de se spargunt: contrario autem modo se habentia e. g. dura nullum per se odoris sensum excitant, si verò ∆i admota comburantur, aut etiam inter se atterantur, odora evadunt, quandoquidem mutuo illo affriktu aliquæ earum partium foras erumpunt, & per medium diffunduntur, (d) ut adeò *Cardanus* (e) eo forsan sensu quoq; intelligendus sit, quando aurum metallorum solidissimum, exiguum bonum odorem spirare scripsit, quemadmodum in nupero Collegio Chemicco privato *Excellentissimus Dn. PRÆSES* annotavit, (f) *Virum Celeberrimum Olaum Borrichium*, (g) ex *Cl. Abasero Payske* Medico Regio audivisse, ipsum cum foliorum auri purissimi unciam dimidiā cum salivâ propriâ totis 14. diebus in mortario vitro subegisset, & in nigram massam redegisset, odorem Sulphuris inde percipisse.

§. VI. Sed

(a) *Instit. Med. I. I. c. 4.* (b) *Theor. Medicin. Part. I. Sect. 5. §. 30.* (c) *Vade-mcum Anat. Exerc. II. §. 5.* (d) *Ant. I' Grand Inst. Philosoph. Part. 7. Art. 15.* (e) *de Subtilit. c. 6.* (f) *ad processum 99.* (g) *in Hermetis sapientiâ vindicata p. 415.*

§. VI.

Sed agitatur adhuc controversia, an effluvia odorefera sint corporea, an verò spiritualiter quasi odores ad olfactus deferantur organon? Posteriorem mordicus tenuere recentiorum nonnulli, quos inter *Excell.* etiam *Sennertus*, (a) sed rationes quas afferunt Sibyllæ quasi folia sunt, flatuq; rationis saniorum Medicorum & Philosophorum cito citius dispelluntur. Evolve, si certior fieri amas, quæ docent, incomparabile Lipsicum decus *Excell. Bohnius*, (b) Venator hodie Cartesianæ Philosophiæ maximus, *Ant. l' Grand*, (c) *Joh. Bravus*, (d) *Mæbius*, (e) *Cæsar Cremoninus*, (f) & innumeri alii.

§. VII.

Geterum insignis gustum inter & odoratum, odores & sapores, intercedit convenientia, (si eam excipias differentiam, quòd gustus crassiores admittat particulas, easque inter primariò Θinas ab humido salivæ menstruo solutas,) ut, quæ naribus ingrata, linguæ fastidium procreent, & in coryzâ aliisq; afflictionibus, communem sentiant læsionem gustus & odoratus: inde etiam est, quòd non rarò sensuum horum nomina confundantur, quod de popularibus suis *Anglus Digbeus*, (g) & de Belgis *Francisc. de l' Boë Sylvius* annotavit; (h) Quid? quòd etiam à Germanis sæpius usurpatur *Schmecken* pro *Riechen*/ eine *Schmecken* pro *Riechen*: *Büschel*: supra laudatus *Sylvius* causam refert in organorum propinquitatem, partim etiam quod in faucibus cuncta communicent; *Clarissimus* verò *Willisius*, (i) causam conjicit in ramos duos à pari quinto ad nares amandatos; quam rationem
ceu

(a) *Instit. Med. lib. I. c. 12.* (b) *Exercit. Physiol. I9. §. 5. seq.* (c) *I. m. c.* (d) *de Sap. & odor. diff. c. 12.* (e) *Instit. Med. c. 4.* (f) *de Odor. Lect. 17.* (g) *de Natura Corporum c. 27. §. 6.* (h) *de Medendi Method. I. I. c. 7. §. 8.* (i) *de Nervis cap. 21.*

ceu accuratissimam amplector. Jam verò cùm inter se-
se sic convenient satores & odores, generaliter quo-
que distinguuntur uti satores ita odores, in gratos &
ingratos.

§. VIII.

Gratus odor est, cuius particulæ narium membra-
nas & processuum mammillarium filamenta jucundè &
svaviter feriunt, aus animales confortant, recreant, in-
staurant; & talem odorem ut plurimum fundunt Sul-
phure puriore & Æ Volatili abundantia subjecta.

§. IX.

Ingratus odor est, cuius particulæ organo & ibusq;
animalibus vel à naturâ vel ab aliquâ impressione adver-
sæ sunt, ita ut stomachum evertent, ac animi deliquium
aliaq; symptomata introducere soleant. Vid. Anton. le
Grand, (a) *Muraltum*, (b) *Rohaultum*, (c) & *Claubergium*.
(d) Ejusmodi odorem præbent subjecta, quæ Sulphure
mpuriori aut adustionem passo constant, aut quando
axato mixtionis vinculo ex iis Sulphur cum Æis aliquâ
portione avolare incipit.

(a) *Instit. Phil.* Part. 8. Art. 14. (b) *Vade-mecum Anat.* Exerc. II. §. 5. (c) *Tract.*
Phys. Part. I. c. 25. §. II. (d) *Theor. Vivent.* th. 90.

CAPVT SEPTIMVM.

De Medio Aëre quid ad Odoratum conferat.

§. I.

A Bonnibus fere aër odoratus medium constituitur,
& verè quoq; est. Aër enim aptissimum est ad dif-
fusionem odorum medium. Nam aër halitum odori-
erum vehit; & licet magna ejus pars per oris patuli ca-
rum in asperam arteriam descendat, reliqua tamen mo-

E tum

tum rectum affe&tans, nares subit, & in ipsum olfactus organon impingitur: Hæc vero tamdiu sentitur, quamdiu suo contactu à fibrillis nerveis membranæ tubulatæ percipitur; sentiri autem desinit, cum exspiratur, & per nares foras regreditur.

§. II.

Prout igitur aër ratione motus comparatus, & ratio-
ne (a) substantiæ deducendis effluviis odoriferis magis
vel minus aptus fuerit, odorum ad organon proprium
translationem, vel accelerabit, vel retardabit, nisi prava
organi dispositio obicem posuerit.

§. III.

Præter aërem odoris medium nonnulli insuper faci-
unt ∇am, [quorum rationes hīc prolixè discutere haud
licet,] quare ut paucis multa comple&tar *Phineas Clariss.
Mæbii* proponam, eidem me applicaturus: *Alii*, [is in-
quit,] (b) addunt ∇am, argumento desumto à *piscibus*, quod
odoribus escarum allicitantur. *Verum dubitare aliquis posset*,
anno potius escam sapore, *mediantibus vaporibus ∇a com-*
municatis percipient, *quam odore*. *Sit autem quod odore*
percipient; *sed tunc ∇a olfactus medium erit piscibus non*
homini.

§. IV.

Hoc etiam addo & velut au&tarium huic Capiti con-
stituo, aërem non tantum odoribus naribus adducendis
inservire, sed etiam muco inde per fauces de-
pellendo utilem esse. Vid. *Swammer-
dammium*. (c)

CAPVT

(a) Vid. Cl. Bohnium Phys. Disp. 19. (b) Vid. Cl. Mæbium Institut. c. 4. (c) de
Respiratione Sect. I. c. I. §. 4.

CAPVT OCTAVUM.

De singulari sensus odoratus præstantia in non-nullis hominibus, & vi atque efficacia odorum in Corpus humanum variâ.

§. I.

BRUTA equidem animantia, odoratus facultate homines ut plurimum superare, supra fassi sumus, & stupenda, quæ de canibus narrat Rob. Boyle (a) confirmant; at vero ut inter hos quospiam emunctæ naris repertos constet, odoratus sagacitatem cum illis certantes, sequentia exempla proposuisse juvabit. Primi autem mihi ex memoriâ in calatum defluunt Choræi, de quibus mention fit Geneseos 36, v. 20. (die Horiter) qui memorantur olfactu explorasse terram; iis addere licebit Arabem illum, de quo ex Bavâ Batrâ recenset *Nobilissimus & Excellentissimus noster Wagenseilius*, (b) ipsum per desertum iter facientem admotâ naribus gleba dixisse: hæc via ad hanc urbem, ista ad istam producit. Quæsitum quam procul ab aquâ abessent, glebâ iterum naribus pertentatâ, respondisse, octo milliaribus. Cum processissent aliquandiu, iterum rogatum, tria millaria indicasse: cumque glebam clam ablatam novâ commutassent, decipi tamen eum non potuisse, in priore responso perseverant. Sed quia Rabbæ narrationibus cum aliis eruditis parum fidit, insuper aliud exemplum assert m. c. *Excellentissimus noster Wagenseilius*, (c) ex Petro Vallæo Viro nobilitatis & peregrinationum laude conspicuo, qui eadem ferè, de nautis, (uti vocat,) terrestribus, asserit. Huc & illi spequant Insularum Antillarum Æthiopes, qui odoratu tam

E 2

sub-

(a) de natura determinata effluviorum. (b) in Sotâ Excerpt. Gemar. c. 9. Arg. not. 13. p. 1028. (c) Ibid. p. 1164.

subtili prædicti, ut vestigia etiam Æthiopis alicujus, & Galli discernere potuerint, modo locum illum Viæ olfectorint, quâ incesserunt; recensente *Excell. Morboſio.* (a) Naturales Vires superaffe videtur exemplum, quod *Ada* habent *Hafniensia*, (b) de Anu, quæ intuens filium viduæ cuiusdam honestæ, sanum, naribus auram captans, toto oīdūo funus ejus præodorata est. Et hæc de hominibus; quibus dispari licet confortio, (dum hīc demum in mentem mihi venit,) liceat adjungere, quæ de Vulturibus refert *Thomæ*, illos per quinquaginta millia passuum exquisito odoris sensu cadaveris præsentiam indagare posse; & lepidam Campanellæ narrationem de fungis in Bisnianensi territorio nascentibus, qui moschum olentes, si quis ventrem exoneraverit, in loco ubi nascuntur, fugere, ac paulo distantius nasci dicuntur. vid. *Excell. Morboſium.* (c) De quibus duobus exemplis fides tamen sit penes Autores.

§. II.

Nunc enim ordo ad vim atque efficaciam, quam odores in corpus humanum exserunt, declarandam me vocat. Sunt qui corpus odoribus nutriri & pasci asserunt, rem exemplis comprobantes: Ita namq; accolas fontis Gangis odore pionorum sylvestrium vixisse *Solinus* (d) memoriæ prodidit, quemadmodum alium aëre solo & sole *Rhodingius*. (e) Democritum Abderitanum Philosophum, annos 109. natum, ternis diebus vitam fugientem, solo panis calidi olfactu, remoratum esse, *Diogenes Laertijs* (f) author est, sic de eō ludens in Pammetro versibus Latinitate donatis:

Quis-

(a) Disp. de Sensuum paradoxis c. 5. (b) Ann. I. Observ. 117. (c) de Sensuum Parad. c. I. (d) in Polyhist. c. 52. (e) l. 24. c. 21. (f) libr. 9. de Vitis Philosoph. vid. Martinum Kergerum de Fermentatione Sect. 3. c. 2. p. 218.

*Quis nam tam sapiens visus qui tale patravit
Inquam, quale sciens omnia Democritus?
Qui per tres tenuit præsentia fata, dies &
Illa recens cocti panis odore aluit.*

Enimvero nutritionem per odores factam *anegetas* Iocuendo tale nomen mereri, negant adductis rationibus *Jonstonus* (a) *Morhofius* (b) & *Posnerus*, (c) ut adeò refectionem quandam propter reparatam fluidi Volatilis & Vei jacturam, meliori jure dicere posses.

§. III.

Cæterum novum aut insolitum non est, odoribus quospiam inebriari, siquidē *Alexander ab Alexandro* (d) Thraces testatur epulantes foco accumbere, herbarum femine ignibus injecto, hujusq; nidore captos ebrios imitari, & tanquam vino affectos temulentos jacere. Babylonios etiam incenso arborum fructu & fumo hausto ita ebrios reddi, ut tripudiis & cantibus exultent, idemque imitari Scythes, alioquin hydropotas, quotiescumque ebrietatis voluptatem requirant. Et si quis fidem dengare nobis vellet, testimonio suo nobis præstò erunt Tobacophili & recentes infariantis herbæ hujus Candidati, (quam America cœpit nostro orbi mittere, quasi deessent nobis instrumenta dementiae, ut dixisse fertur, *immortalis post funera Gloriæ Vir Herm. Conringius*,) qui ejus fumo naribus capto titubare solent. Ita Rostochii Belgam novi Studiosum ex odore Vini citius quam alii ex potu ad ebrietatem redactum; idem in aliis factum testatur *Schottius*. (e)

§. IV.

Notatu porrò dignum est odoratu purgari quosdam;

E 3

de

(a) Thavmatograph. Claff. 10. Art. 2. (b) l. c. c. 4. (c) de Alimentorum verâ indole. §. 2. (d) Genial. dier. l. 3. c. II. (e) Phys. Curios. l. 3. c. 33. §. 4.

de quo Purgationis modo vide *Excell. Francum*, (a) qui plurima hac de re collegit exempla: Sic namq; D. Pfeil/ *Medicus Lipsiensis*, quoties purgare corpus vellet, Pharmacopolia ingressus, quando purgantia recens parabantur, & illa olfecit tantum; deinde domum reversus, intra eam se continuit. Nobilis Virgo Anna Riederiana Dessoæ ad Sororis Dorotheæ ex poculo purgante bibentis lectum proprius accedens atq; adstans, odorem Medicamenti percepit, atq; inde sufficienter purgabatur, imò felicior ac ipsa Soror. (b) Vid. plura alia exempla apud *M. Donatum*, (c) *J. N. Binnerum*, (d) *Panarolum*, (e) *Schenkium*, (f) *Eraustum*, (g) & *Smetium*. (h)

§. V.

Vim adhæc medicam corroborantem, uti loquuntur, obtinere odores, exinde facile patebit, quia pulegiū cum pipere in aceto decocti odor naribus admissus apoplecticos reficit; (i) μ us Θ is *ci in vitro angusti orificii naribus admotus, epileptico paroxysmo correptos sublevat; (k) infantes eodem malo tentatos Xyloaloë accensa excitat; catarrho suffocativo suppressos, fumus ex mastiche, thure, succinô, tacamahacâ nonnihil liberat; (l) hystericâ passione detentas feminas, plumarum crematarum, solearum combustarum, assæ fætidæ, aliorumq; fœtidorum odor relevat, quemadmodum svaviter olentia virilis sexus homines synopticos, grato reficerere odore notissimum puto.

§. VI.

Nec vero noxâ destituuntur odores, dum corporibus qui-

(a) Satyr. Med. Contin. 2. (3.) (b) Salmuth Centur. 3. Observ. 14. (c) I.6. H.M. c. 3. (d) Cent. 2. Observ. 86. p. 228. (e) Pentecos. observ. 28. (f) in observat. (g) c. 60. de occultis Pharmacis. (h) Miscell. p. 113. & 163. (i) Nicol. Cheneau in Prax. (k) Fr. de le Boë Sylvius Prax. Med. lib. 1. c. 19. §. 73. (l) Hartmann, in Prax. Chiatrica.

quibus vel naturâ, vel consuetudine, vel peculiari dispositione adversantur, occurrunt. Pharmacopœus Niecopiensis Christophorus Heerfart à nimio Camphoræ odoratu, olfactum amisit, teste *Bartholino*. (a) Ex roseum odore, (uti saepius feminæ,) quidem animo linquebat, notante *Amato Lusitano*; (b) idem perpeſſum est Fr. Venerius, Venetorum Dux, referente *Zwingero*. (c) Rusticus Antverpianus, qui cum in myropolium divertifset, deliquio animi cœpit periclitari, fimo verò equino admoto naribus, revocatus est, quod ex *Lemnio*, (d) refert *Jonſtonus*. (e) Piscator Senex, qui spectans Lusitaniæ Regis in urbem quandam introitum, concidit, postea verò, ab Archiatris Regis, (qui cognovit, illum ex aromatum in plateis, propter frondes fragrantes, & suffimenta copiosiora, odore fortiori in malum hoc incidiſſe,) adhibito consilio, ut æger denuò ad littus apponaretur, & algâ limoq; cooperiretur, brevi tempore sanitati pristinæ fuit restitutus, de quod vid. *Zacut. Lusitanus*. (f) Mofchi, ambræ, aliorumq; sive oleolentium odore hystericas lædi, experientiæ suffragio comprobatum est, quia tunc ex mente *Willisi* (g) spiritus animales demulcentur, resolvuntur, & ad explodendum parati in ulteriores inordinationes provocantur. In Anglia verò feminam lucernæ extinctæ suffitu partum nondum maturum emisſe, nec sine vitæ discrimine enixam esse, recenset *Anton. le Grand.* (h)

§. VII.

Tandem singularis Casus est, quem habet *Amatus Lusi-*

(a) Histor. Anat. rariorum Cent. 4. Hist. 91. (b) Cent. 2. Curat. 36. (c) Theatr. Vit. human. Volum. 2. l. 5. p. 421. (d) l. 2. occult. qualit. c. 9. (e) Thavmatogr. Cl. 10. cap. 7. Art. 3. (f) Prax. admirab. l. 3. observ. 99. (g) de morbis convulsivis c. 10, (h) Histor. Natur. Part. 9. Art. 3. p. 440,

Lusitanus (a) de Agasone quodam Pisaurensi, qui super duabus croci sarcinulis dormiens eadem nocte obiit.

§. VIII.

Sed

Hic TERMINVS ESTO!

Potuisse equidem plura præsenti inserere opellæ, nisi metuisse eandem mole sua fastidium daturam esse. Interea si quæpiam in eâ minus Tibi B. L. arrident, cogita voluntatem placendi Tibi non defuisse, si facultas defuerit, & crede *Martiali*, (b)

Non cuicunq; datum est habere Nasum.

Materiæ gravitas, Autorum discrepantes hinc inde sententiæ repertu dantur, ut bonus Homerus hîc etiam dormitet, nedum ego artis difficillimæ Tyro. Doctiora de nasi statu præter-naturali venientibus dabimus annis, si DEVS, & vita, & vires permiserint. Antequam autem ultimam imponam manum, liceat Physicorum adhuc ingredi castra, & illic paululum immorari, Thematisq; per tractandi jam olim suscepiti Sciagraphiam loco

COROLLARII

proponere, & afferere

LVNAM ESSE ALTERAM TERRAM,
tum quoad

I. Suam opacitatem, quam confirmant ejus incrementa & decreta, defectusq; luculæ in Eclipsibus alias conspicuæ. vid. Affelmannus, (c) Claubergius, (d) Wittichius, (e) Excell. noster Sturmius, (f) Fautor & Præceptor

(a) In Dioscor. c. de croco. (b) l. i. Epigr. 42. (c) Disp. de Creat. th. 5. (d) Disp. Phys. 28. §. 1. & 7. (e) Consensu veritatis cum fide §. 504. & 523. (f) In Synops. Special. Physic. Mstæ. Sect. 2. §. 3. Tabb. Astron. Part. Spec. Tab. 3.

ceptor ad tumulum usq; colendus, Greydanus, (a) Cartesius, (b) Sweling, (c) Prætorius, (d) Placentinus, (e) Excell. Weigelius, (f) & Kippingius. (g) Negant tamen aliquam & congenitam Lucem attribuunt Schookius, (h) Stierius, (i) Hartnaf/ (k) Conimbricenses, (l) Gorlæus, (m) Magyrus, (n) & alii innumeri. Terram verò lucere ut & am demonstrant Greydanus, (o) Excell. noster Sturmius, (p) Galilæus Galilæi. (q)

I. Lumen mutuatitium tam primarium, quod omnes ferè & Terræ tribuunt, quam secundarium. Vid. Excell. noster Sturmius, (r) Wittich, (s) Vitalis, (t) Mæsthlinus, (u) Keplerus, (v) Placentinus, (x) Treiberus, (y) Weigelius, (z) Acta Anglicana, (aa) Ephemerid. Erudit. (bb) Galilæus Galilæi. (cc)

II. Phases. Vid. Excell. Sturmius, (dd) Excell. Weigelius, (ee) Gallilæus Gallilæi. (ff)

V. Dierum nodumq; vicissitudinem. Vid. Excell. Sturmius. (gg)

F

V. Ecli-

- (a) Phys. lib. 2. c. 6. (b) P. 111. Princ. Phil. §. 11. (c) Disp. de Sensibus. (d) Meltem. Phys. Disp. 12. th. 16. (e) Cartes. Triumphant. (f) Fortsetzung des Himmels Spiegels Geoscop. Gelenit. c. 4. Phæn. 3. &c. §. (g) Phys. l. 3. c. 5. §. 15. (h) Cent. rar. Probl. Hist-Med-Phys. Probl. 90. (i) Phys. part. Spec. quest. 8. (k) In seiner Sternkündigung p. m. §3. (l) lib. 2. de caelo cap. 7. quest. 4. (m) Ide. Phys. c. 6. §. 5. (n) Commentar. ad suam Physic. c. 6. p. m. 156. (o) Phys. l. 2. c. 6. (p) Colleg. quodam Physic. Msto Dispnt. 2. de Mundanorum Corporum different. §. 12. & Tabb. Astron. IV. (q) System. Cosmic. p. 84. (r) Tabb. Astron. 4. (s) Consens. Verit. cum Fid. §. 526. (t) Lexic. Mathem. Tit. Terra. (u) Disp. de Eclips. §. 21. 22. 23. (v) Astron. Part. Optic. c. 6. §. 10. (x) Cartes. triumph. (y) Epit. Astron. Part. Spec. c. 4. (z) Fortsetzung des Himmels-Spiegels c. 2. (aa) Mens. Dec. 1665. in speculationibus Dn. Auzonti. (bb) p. 145. (cc) Syst. Cosm. p. 87. (dd) Tab. Astron. 3. & 4. & Colleg. Phys. Disp. Msto Disp. 7. §. 1. 2. 3. (ee) Syst. Cosm. p. 80. (ff) Geoscop. Selenit. Part. 2. c. 2. (gg) Phys. Mstæ parte Spec. Sect. 3. c. 1. n. 2. & Colleg. Phys. Mst. Disp. 8. §. 10. 11.

- V. Eclipses.** *Vid. Excell.* Sturmius, (a) Pfauzius, (b)
Vitalis. (c)
- VI. Partium heterogeneitatem.** *Vid. Excell.* Weigelius, (d)
Excell. Sturmius, (e) Galilæus Galilæi, (f) Fran-
cisci. (g)
- VII. Aſperitatem.** *Vid. Excell.* Sturmium, (h) Wittichi-
um, (i) Hevelium, (k) Ricciolum, (l) Galilæum Ga-
lilæi, (m) Francisci. (n)
- VIII. Corruptibilitatem.** *Vid.* Pegelium, (o) Reinholdum,
(p) Keplerum, (q) Ant. le Grand, (r) Greydanum,
(s) Bassecour, (t) Galilæum Galilæi, (u) Francisci. (v)
- IX. Figuram.** *Vid. Excell.* Sturmium, (x) & alios innume-
ros, quos pagina non capit.
- X. Motum.** *Vid. Excell.* Sturmium, (y) Raei. (z)
- XI. Magnetismum.** *Vid. Excell.* Sturmium. (aa)
- XII. Habitabilitatem.** *Vid.* Keplerum, (bb) & Witti-
chium. (cc)
- XIII. Deniqꝫ quoad Influxum reciprocum.** *Vid. Excell.* Stur-
mium. (dd)

SVFFICIA T.

D6

- (a) Colleg. Phys. Mst. Disp. 7. §. 6. 7. seq. (b) Disp. de Eclipsi Terræ. (c) Lexic.
Mathemat. Tit. Eclipsis. (d) Geoscop. Selen. p. 1. c. 7. Phœn. 4. (e) Tabb.
Astron. 3. & 4. (f) Syst. Cosm. p. 86. (g) Eröffneten Lust-Haus der Ober-
und Unter-Welt p. 398. (h) Tabb. Astron. 3. & 4. (i) Theol. Pacif. p. 51.
(k) Selenogr. c. 6. p. 148. (l) Almagest. nov. l. 4. c. 2. (m) Syst. Cosmic.
p. 91. & Nunc fides p. 10. (n) Eröffneten Lust-Haus der Ober- und Unter-
Welt p. 439. & 441. (o) Aphorism. Philos. p. 152. (p) super Theor. Pur-
bachii p. 164. (q) Astron. Part. Optic. c. 6. (r) Instit. Philosoph. p. 403. &
411. (s) Phys. p. 109. (t) contra Schüler. (u) Syst. Cosm. p. 79. (v) Lust-
Haus der Ober- und Unter-Welt p. 104. (x) Tabb. Astron. 3. & 4. (y) Id.
ibid. (z) de Origine motus p. 64. (aa) Disp. de Corporum magnetismo
& Tract. Msto de occultis qualitatibus c. 6. §. 2. (bb) Astron. Part. Optic.
c. 6. (cc) Theol. Pacif. c. 7. Art. 60. p. 52. (dd) Tabb. Astron. 3. & 4.

DE Naso tractas? Medicus felicior haud est,
quam status & morbi, caussaq; cui subolet,
ac uti pellatur. Crispis si naribus ausus
hos laceret rictus forsitan invidiae;
extollet contra, quisquis non naris obesæ est,
pectore & ex æquo spiritus inde means.
Nec Patrem de te, nec te suspendet aduncio
naso spes, tuus ac improbus ille labor.

Commensali & amico suavissimo
L. M. Q. scrips.

JOHANNES SAVBERTVS, D.

NAs jene / welche die Natur und Kunst verstehen/
von diesem Wunderglied des Hauptes zeigen an/
weiss ich zwar nicht. Jedoch soviel ich sonst kan sehen/
wie selzam es auch scheint ist es sehr wol gethan/
wann in Galenus Schul vor andern wird betrachtet
der Nasen Eigenschaft / des Schöpfers Meisterstück.
Um so viel fleischer ein treuer Arzt es achtet/
ob seinem Kranken schier der Odem bleib zurück/
und er frisch oder sacht denselbigen aufblasen:
Ob rein sei oder dös / ja gar mit Gifft beklebt/
und Pestilenz / die Lufft / die man schöpft durch die Nase/
die sonder welche nicht lebt was auff Erden lebt.
Und wann das matte Herz den letzten Stof soll leiden;
tritt auff der Medikus / streicht seinen Balsamsafft
zun Nasenlochern ein / hemmt Leibs und Seelen scheidens
belebt den Sterbenden dadurch mit neuer Krafft.
Ej nun so fahret fort Herr Lochner ! ihr sollt stehen
im Purpur bald / den man nur Grundgelährten gibt/
nicht Storchern / die so peck den Leuten Nasen drehen.
Indessen preiß diß Werk wer ichtens Blumen liebt.

C. S. M. A. G.

LOCHNERE emunctæ naris, nunc mente sagaci
Nares rimare, & tubulos quos dædala finxit

Illa manus genitrix rerum, doctæq; catervæ
 Supra bruta proba Tibi surgere naris acumen:
 Humanum quanquam longe præsentit odorem,
 Romulidarum acri servator candidus anser,
 Turba canumq; feras subitas lectatur odore,
 Olfactus LOCHNERE Tui est vis major, odoras
 Quas habeant intus positas animantia nares.
 Plus LOCHNERE ultra Tibi proderit, auguror, olim
 Talis odor, laudesq; Tuæ trans aethera scandent.

Ita

Clariss. D.N. AUTORI RESPONSURO,
 invitâ propter occupationes
 Minervâ, mente tamen
 amicâ

D. M. Q.
 applaudefbat

P R A E S E S.

LAUDANTUR MERITO, queis fortia facta virorum
 est volupe & curâ sapientum volvere scripta;
 Hos homines dignos in primis laude putamus,
 priscorum qui dant operam monumenta relicta
 discere. Vita est mors, si non sapientia pedus
 muniat, aut animum generosis artibus ornet.
 Quod studiô LOCHNERE probô perpendis Amande
 Qui colis & Pbœbi clariq; Machaonis artem,
 qua fuit Illustris Pæon Podalyrius atq;
 Chiron Hippocrates, quid dico ast nomine cunctos,
 ars quibus hæc, insigne decus nomenq; paravit.
 Perge igitur florum, lapidumq; inquirere vires,
 corporis humani partes nec cernere cessa,
 & quicquid tellus intra sua viscera celat,
 conferet bocq; TIBI laudem, post funera famam.

Hæc pauca, multo tamen affectu scribebant
 Clarissimi nec non Doctissimi Domini hu-
 jus Disputationis Autoris ac Respondentis

Convictores.